

I.

**R**uſtrâ Calvinianos, quorum errores Articulus viſitato-  
rius tertius de *S. Baptiſmo* rejecit, conciliare cum Lu-  
theranis in hac doctrinâ conantur *Syncretiſta*.

II.

Hoc ut obtineant, præſupponunt (i.) per controver-  
ſias, quæ Lutheranis cum Calvinianis in hoc articulo intercedunt,  
*fundamentum à neutrâ parte tolli*, quia de *neceſſitate baptiſmi in ſe &*  
*essentialibus* utrinq; conveniat.

III.

Enim verò uti ſic concedi ab iis colligimus, articulum hunc *fun-*  
*damentalem* eſſe, quæ certè eſt fundamento *organico* pariter & *dog-*  
*matico*: ita negamus, utrinq; de *neceſſitate & essentialibus* baptiſmi  
convenire.

IV.

Non de *neceſſitate* baptiſmi utrinq; convenit, quippe quam Lu-  
therani affirmant, Calviniani negant, & quidem utramq;ve, tum *præ-*  
*cepti*, tum *medii*. Negata enim *neceſſitate medi*, ſponte ſuâ ruit *ne-*  
*ceſſitas præcepti*, quia *neceſſitas medi* cauſa eſt *neceſſitatis præcepti*,  
*Job. III, 5.*

V.

Non in *essentialibus* baptiſmi utrinq; convenit, quia in omnibus  
tradendis cauſis diverſum à Lutheranis Calviniani ſentiunt. Quoad  
*efficientem* negant *inſtituentem* eſſe Chriſtum, quæ homo eſt, & *miniſte-*  
*riali* *organicum* influxum derogant, atq;ve Laicum in caſu *neceſſita-*  
*tis* ab adminiſtratione arcent. Quoad *materiam*, & *terrenam* quidem,  
loco aquæ alios liquores admittunt, *cæleſtem* verò præſentem negant,  
& *materiam circa quam* ſolos electos aſſerunt. *Formam* in analogiâ  
quærant. *Finem* deniq; ſtatuunt, ut *testis*, non *medii* vicem obtineat.

VI.

Nihil ad utriusq; partis conciliationem (2.) facit, quaſi hoc ipſo,  
quod de effectu *ſpirituali* baptiſmi tenuius ſentiunt Calviniani, ſua Sa-  
ſramento huic non pereat *efficacia*, quæ non à fide & opinione vel Ec-  
cle-